

servationibus circa illas guttulas &c. quas ex MS. Italico latinitate donatas Miscell. suis Curiosis eod. anno 1671. subjunxit Academia Naturæ Curiosorum p. 428. in alleg. *Montanarii* scripto etiam Idiomate Italico excusas p. 42. & seqq. complacuit tamen nobis etiam rem ipsam tentare & Auditoribus nostris spectandam potius quam legendam vel audiendam exhibere, quæque nos observare contigerat effecta, adnotare & ad causas suas pro virili deducere.

II. Ante omnia verò ipsas lachrymas five guttas nostrâ manu conficere conabamur, quando quidem nullius artis ea res est, nec apparatu alio opus, quam ut vitrum fustum in aquam aliumque liquorem instilletur; sic enim stilla illa liquida ab ambiente liquore æqualiter undique pressa, nisi qua parte desuper ob visciditatem materiæ appendicem longiorem post se trahit, quæ capiti præeunti & interim sub aquis, antequam hæc appendix subsequatur, jam indurato jungi amplius non valens caudam illam constituit guttæ ipsi, eo modo quo pyro pedunculus solet, adhærentem: ut ea tandem totius lachrymæ forma prodeat, quæ num. 1. Fig. 21. spectatur.

Phæn. I.
ejusque
causa.

III. Profecti igitur ad officinam vitriariam quatuor miliaribus germanicis hinc distantem in solo Eichstättensi ad Oppidulum *Albensberg* vulgò *flein Amberg* dictum, proximè claustrum *Mariæburgum*, periclitari vires nostras aut veriùs fortunam cœpimus, & guttas quidem ejus quam diximus formæ facili manu paravimus, sed integras tamen obtinere nullas potuimus, omnibus intra ipsum liquorem disruptis antequam extraherentur; ita quidem ut aliæ penitus dissilirent, aliæ totum externæ formæ circuitum servantes in frustula tamen plurima contigua solum actu scissæ non sine dolore aliquo nostro conspicerentur. Quicquid igitur in I. Observ. sua *Dn. Redi* testetur, omne genus vitri aut crystalli ex quacunque constet massa aut colore &c. aptum esse ad confectionem illarum guttularum; nos certè aliud credere experientia propria

Phæn. II.